Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 185
Quelle:
Copyright:

ſe reor, quo Literatores varii Radulphum hunc *Gallum* ejusque ſcripta cum Radulpho cognomine Nigro *Anglo* Suffolcienſi et ejus ſcriptis confudere. Ita, ut exemplo recentiſſimo utar, Chronicon T. III. *Biblioth. Hiſt. de la France, Paris* 1771. p. 376. Radulpho noſtro tributum Angli potius eſſe videtur, maxime ſi chronologiam utriusque ſpectes. Adi in hanc rem *Th. Tanneri Bibl. Britanno-Hib.* p. 548. Opus Noſtri in *Leviticum* lucem primum publicam vidit *Coloniae* impenſis *Quentelianis* opera *Euch. Cervicorni* M. D. XXXVI. f. moxque in *PP. Bibliothecas* tranſiit, quarum *maxima Lugdunenſis* illud T. XVII. exhibet ad p. 47. Autorem literis etiam profanis ſic ſatis imbutum, ſed in conſectandis allegoriis nimium fuiſſe liquet.

LXXV. VII. C. 17

174 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 186. f. probe ſcriptus et rubricis exornatus ſiſtit *Radulphi Flaicenſis* Monachi O. S. B. *Commentariorum in Leviticum Partem* I. ſive *Libros X. priores.* Integrum Opus XX. Libb. *Cod.* LXXIV. et Partem II. ſive Libros X. poſteriores *Cod.* LXXVI. exhibemus, qui tamen cum praeſenti nec forma, nec ſcriptura cohaerent. Prologi miniatus titulus eſt: *Incipit prologus in tractatum ſuper leviticum.* Neque nomen Autoris proditur, niſi in *nota* Sec. XV. praevia pro *Lectore menſae*, in qua *Rudolfus ſuper leuiticum* audit. Initium Prologi eſt: *Cum inter ſocios aliquando ſermo de iudeorum contentionibus haberetur* &c. Illud ſingulare, quod et hic, et in ſingulorum Librorum principiis pro literae initialis florulentae longitudine lineae rubrae nigraeque alternent. Prologum *Elenchus* Capitum omnium XX. Libb. excipit, quem breve aliud *Proemium* ſequitur hoc exordio: *Tercius in Moyſi libris leuiticus appellatur* &c. et tum denique minio: *Incipit tractatus ſuper Leuiticum. De holocauſto bouis. Capitulum primum. Pars prima. Vocauit autem Dominus moyſen* &c. Finis L. X. *qui dedit in mari uiam. et abſcondita produxit in lucem. Explicit liber decimus et prima pars tractatus ſuper leuiticum.* Vide, quae de Autore et Operis editionibus dicta ſunt ad *Codd. ſupracitatos.* Noſtro adhaeret fabella ſuperſtitioſa de *tribus bonis Fratribus* Chriſto occurrentibus et ab eo edoctis vulnera ſanare oleo olivae ex monte oliveti et lana ouis nouiter tonſa, adhibita formula ſequente: *Sicut longinus hebreus lanceam fixit in latus domini noſtri ihesu chriſti, et non diu ſanguinauit non tumuit non putruit non* ranclauit *non ardorem tempeſtatis habuit ita plaga iſta quam* carmino *non diu ſanguinet non tumeat non putreat non* ranclet *non ardorem tempeſtatis habeat in nomine patris* &c. *Carminare* hic pro *Incantare* poſitum notius eſt; ſed *Ranclare* diminutivum aut frequentativum a